

FERIA V TEMPORE PASSIONIS  
AD VESPERAS

*1. Ant. Ic*



Ecce *Ps.* quam bonum. E u o u a e.

*Ps. 132*

**E**cce quam bonum, et quam  
iucúndum \* habitáre fratres  
in unum:

Sicut unguéndum in cápite, \*  
quod descéndit in barbam, bar-  
bam Aaron.

Quod descéndit in oram vesti-  
ménti eius: \* sicut ros Hermon,  
qui descéndit in montem Sion.


Quóniam illic mandávit Dó-  
minus benedictiónem, \* et vitam  
usque in sæculum.

Glória Patri *non dicitur.*



Ecce quam bonum et quam iucúndum.

*2. Ant. IIIb*



Quóni- am *Ps.* Confi-témini. E u o u a e.

*Ps. 135i*

**C**onfitémini Dómino, quóni-  
am bonus: \* quóniam in  
ætérnum misericórdia eius.

Confitémini Deo deórum: \*  
quóniam in ætérnum misericór-

dia eius.

Confitémini Dómino dominó-  
rum: \* quóniam in ætérnum  
misericórdia eius.

Qui facit mirabília magna  
solus: \* quóniam in ætérnum  
misericórdia eius.

Qui fecit cælos in intelléctu: \*  
quóniam in ætérnum misericór-  
dia eius.

Qui firmávit terram super  
aquas: \* quóniam in ætérnum  
misericórdia eius.

Qui fecit luminária magna: \*  
quóniam in ætérnum misericór-

dia eius.

Solem in potestátem diéi: \*  
quóniam in ætérnum misericór-  
dia eius.

Lunam, et stellas in potestá-  
tem noctis: \* quóniam in ætér-  
num misericórdia eius.



Quóni- am in æ-térnum mi-se-ri-córdi- a eius.

### 3. Ant. IIIb



Confi-témini. *Ps.* Qui percússit. E u o u a e.

### *Ps. 135ij*

Qui percússit Ægýptum cum  
primogénitis eórum: \* quóni-  
am in ætérnum misericórdia eius.

Qui edúxit Israel de médio eó-  
rum: \* quóniam in ætérnum  
misericórdia eius.

In manu poténti, et bráchio  
excélso: \* quóniam in ætérnum  
misericórdia eius.

Qui divisit Mare Rubrum in  
divisiónes: \* quóniam in ætér-  
num misericórdia eius.

Et edúxit Israel per médium  
eius: \* quóniam in ætérnum

misericórdia eius.

Et excússit Pharaónem, et vir-  
tútem eius in Mari Rubro: \* quó-  
niam in ætérnum misericórdia eius.

Qui tradúxit pópulum suum  
per desértum: \* quóniam in ætér-  
num misericórdia eius.

Qui percússit reges magnos: \*  
quóniam in ætérnum misericór-  
dia eius.

Et occídit reges fortes: \* quó-  
niam in ætérnum misericórdia  
eius.

Sehon, regem Amorrheórum: \*  
quóniam in ætérnum misericór-  
dia eius.

Et Og, regem Basan: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Et dedit terram eórum hereditátem: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Hereditátem Israel, servo suo: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostri: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Et redémit nos ab inimícis nostris: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui dat escam omni carni: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.


Confitémini Deo cæli: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Confitémini Dómino dominórum: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.



Confitémini Dómino, qui-a in humi-li-táte nostra memor fu-it nostri.

#### 4. Ant. IIIb



Adhære-at. *Ps.* Super flúmina.

E u o u a e.

#### *Ps. 136*

**S**uper flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus: \* cum recordarémur Sion.

In salícibus in médio eius, \* suspéndimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, \* verba cantiónum.

Et qui abduxérunt nos: \* Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini \* in terra aliéna.

Si oblítus fúero tui, Ierúsalem, \* oblivióni detur délixtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, \* si non memínero tui.

Si non proposúero Ierúsalem, \* in princípío lætítia meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom, \* in die Ierúsalem.

Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte \* usque ad fundaméntum in ea.


Fília Babylónis misera: \* beá-

tus, qui retribuet tibi retributionem  
tuam, quam retribuisti nobis.

Beátus, qui tenebit, \* et allidet  
párvulos tuos ad petram.




Adhære-at lingua me- a fáucibus me- is, si non memí-ne-ro



tu- i Ierú-sa-lem.

*5. Ant. V*



Confitebor. *Ps.* ti-bi, Dómine. E u o u a e.

*Ps. 137*

**C**onfitébor tibi, Dómine, in  
toto corde meo: \* quóniam  
audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psal-  
lam tibi: \* adorábo ad templum  
sanctum tuum, et confitébor nó-  
mini tuo.

Super misericórdia tua et veri-  
táte tua: \* quóniam magnificásti  
super omne, nomen sanctum  
tuum.

In quacúmque die invocávero  
te, exáudi me: \* multiplicábis in  
ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine,

omnes reges terræ: \* quia audié-  
runt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini: \*  
quóniam magna est glória Dómini.


Quóniam excélsus Dóminus,  
et humília respicit: \* et alta a  
longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribu-  
latiónis, vivificábis me: \* et super  
iram inimicórum meórum exten-  
dísti manum tuam, et salvum me  
fecit délixtera tua.

Dóminus retribuet pro me: \*  
Dómine, misericórdia tua in sæ-  
culum: ópera mánuum tuárum ne  
despicias.



Confitebor nómini tu- o, Dómine, super mi-se-ri-córdi- a et ve-



ri- tá-te tu- a.

*Capitulum*

*Ier. 11*


*Czytanie*

*Jr 11, 20*

**T**u autem, Dómine Sábaoth, qui iúdicas iuste, et probas renes et corda, vídeam últiõnem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

**T**y Panie zastępów, który sądzisz sprawiedliwie, a nerek i serca doznawasz, niech ujrzą pomstę twoję nad nimi: bom tobie objawił sprawę moję, Panie Boże mój.

*Hymnus I*



Ve-xil-la Re- gis pro- de-unt: Fulget Cru-cis Myste-ri- um, Quo car-



ne carnis Cón-di-tor, Suspén- sus est pa-tí-bu-lo.

Quo vulnerátus ínsuper  
Mucróno diro lánceæ,  
Ut nos laváret crímine,  
Manávit unda et ságuine.

Impléta sunt quæ cóncinit  
David fidéli cármine,  
Dicens: In natió nibus:  
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra et fúlgida,  
Ornáta Regis púrpura,  
Elécta digno stípíte  
Tam sancta membra tángere.

O Crux ave, spes única,  
Hoc Passiónis témpore,  
Auge piis iustítiam,  
Reisque dona véniam.

Beata, cuius bráchiis  
Sæcli pepéndit prétium,  
Statéra facta córporis,  
Prædámque tullit tártari.

Te summa Deus Trínitas  
Colláudet omnis spíritus:  
Quos per Crucis mystérium  
Salvas, rege per sæcula.

*Hic genuflectitur usque ad*  
Te, summa:

Amen.

*Versiculus*

Ÿ. Erípe me, Dómine, ab hómine malo.  
℞. A viro iníquo éripe me.

*Ad Magn. Ant. Ib*



Mittens. C. Magní-fi-cat. E u o u a e.

*Canticum B. Mariæ Virginis*  
*Luc. 1, 46-55*

**M**agníficat \* ánima mea Dó-  
minum.

Et exultávit spíritus meus \* in  
Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem  
ancillæ suæ: \* ecce enim ex hoc  
beátam me dicent omnes genera-  
tiones.

Quia fecit mihi magna qui po-  
tens est: \* et sanctum nomen eius.

Et misericórdia eius a progé-

nie in progénies \* timéntibus  
eum.

Fecit poténtiam in bráchio  
suo: \* dispérsit supérbos mente  
cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, \*  
et exaltávit húmiles.


Esuriéntes implévit bonis: \*  
et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel, púerum suum,  
\* recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres  
nostros, \* Abraham, et sémini  
eius in sæcula.



Mittens hæc mú-li- er in corpus me- um hoc unguén- tum, ad




sepe- li- éndum me fe- cit.

*Oratio*

**E**sto, quæsumus, Dómine, propítius plebi tuæ: ut, quæ tibi non placent respuéntes, tuórum pótius repleántur delec-

tatióibus mandatórum. Per Dó-  
minum nostrum Iesum Christum  
Fílium tuum, qui tecum vivit et  
regnat in unitáte Spíritus Sancto,  
per ómnia sæcula sæculórum.  
Amen.



Benedi-cámus Dómino. *R̄*. De-o grá-ti- as.

stowarzyszenie: schola  
gregoriana  
silesiensis

